

III.  
REGNUM MORTUORUM.

Nro. 23.

---

*Politica Mortuorum Colloquia.*

---

Elysiū. Meum. — Die Martis 18 April. 1809. (Neov. 31. Mart. 1809)

---

Illustrem a se; non natiuitate propectum —  
magis lauda.

*Justin.*

*Colloquentes Umbrae:*

*Campi Marschallus Clairfait — Matthias a Fas-  
bender.*

*Clairfait.* Ex quatuor pene & viginti annis  
Austriaca Monarchia bello distinctur; pau-  
cis solum annis, perexigua temporis periodo  
respirare ei licuit — & quæ, obsecro, novi  
belli ratio?

*Farb.* Militia, ut dicitur, tuendæ patriæ  
seu, ut ajunt, armatio; aliæ rationes politico  
adhuc vix teguntur.

*Clairf.* Et hæc defensoria militia?

*Farb.* Erat hæc hodierna procelluosa  
tempestate necessaria: Quamdiu Austriaca  
Monarchia in possessione Tyrollis Germanici  
Imperii, Italicarumque Ditionum militares  
limites habuit, exercitus, qui suppetebant,  
sufficere defensionem a regimine censebantur.  
Parcebatur Colonis, & industriæ Civium Clas-  
si quibus vacare suis operibus in perturbate  
licuit. Et profecto admirandus hæc in argue

mento progressus; quippe: nihil morantibus tam diuturnis & infaustis bellis, opificia, industriaeque tantopere profecit, tanta emolumenta adepti, adeo se extollit, ut Status Austriacus in ratione diversorum productorum cum quovis alio de principatu contendere valeat. Liberale, beneficium justumque regimen hanc solertiam adjuvat, ampla, Augustae domui propria, munificentia.

*Clairf.* Communis armatio huic solertiae obicem positura videtur.

*Fasb.* At Monarchia undique absque militaribus limitibus defensoribus solum suis eos compensare valet. Quivis Ditiones Austriacas ambientes Status militares vires suas adeo intenderunt, ut omnis mas in adolescentia pro militia educetur. In hoc statu ditiones foederatae Germaniae, Italia, Gallia, Ducatus Polonia plurimum Austriam contingentes versantur. Huic constitutioni Monarchis ex propriis viribus, quantum potis est, aequilibrium in viribus opponendum habet, etenim aequilibrio solo quarumvis rerum conservatio obtinetur: Et ex hoc ratiocinio consequitur: armationem seu unicam independentiae & sui conservationis medium adprehensam esse.

*Clairf.* Bene intelligo: at vero, aisne bellum denuo oriturum? Meminerunt ne, obsecro, veterani expeditionum, in quibus Ducem iis me praebui.

*Fasb.* Adhuc dum cum voluptate recordantur dilecti sui Belli ducis, & noster amantissimus Archi Dux Carolus, deliciae gentis

grata dilectum olim magistrum plique prosequitur memoria. Interim legitur Vindobona de 19. h. m. sequens in publicis paginis nuncium:

Aliquot ante diebus intra paucas horas quatuor Cursores edpulere; unus a nostro ad aulam Petropolitanam legato, alius ab eadem ad ejus hic residentem legatum, alius a Rege Borussiae ad suos ministros, alius denique Parisiis. Hodie rursus pacifici rumores circumferuntur, neque ulla adhuc indicia adparent, quod negotiorum Gallicus gestor D. Dodun urbem hanc relinquendi consilium foveat, contra: hic ætiam suam habitationem ad S. Vitum juxta urbem proxima statum conductam retinuisse perhibetur.

Porro Vindob. Ephemerides continent: Quod fidelitate & generositate nobiles Hungari occasione novissimorum Comitiorum unanimi suffragio ultro & non provocati promissere, id de præsentis, quo in quovis Imperii Austriaci incolæ sensus amoris pro nobili patria, felici ejus Constitutione pro optimo, justissimo principe excitari debet, & reapse excitat, id inquam digna iis, nobili & generosa ratione in effectum deducunt. Non id modo, quod lege decretum & sancitum est, perficitur energica veloceque ratione, atque concordis opera, quæ cujusvis patriæ amanti Civis animum ad ampliissimas spes erigit, verum adparatus defensionis æquali ratione intenduntur, si spes pacem, summum Imperatoris & regis votum conservan-

di in irritum coeciderit. Ex uberrima nobilium factorum serie, quæ in fastis Hungariæ virtutis, periculosis & difficilibus in adiunctis, renident, aliqua solum depromimus: facultatem reservantes seriem hanc illustrium & magnanimorum factorum in his paginis continuandi. Status & Odius provincie Nitriensis in suo generali Conventu die 27. Febr. (præter celerem perfectionem numerosæ suæ, jam eorum ad statum perfectum ferme ductæ Nobilis Insurrectionis & debitæ militarium tyronum institutionis) unanimi suffragio erectionem legionis hung. Equestris 900 viris constantis, quæ cum consensu Suxæ Majestatis nomen legionis C. Nitriensis præselatura, ejusque integram expeditionem usque 10. April. decreverunt, una ad intertentionem Copiarum, gratuitam 47,210 Poson. metretarum diversi generis frugum obtulere. Eodem Zelo ducta (& quis patriæ, legum, majorum, regisque sui amans Hungarus non duceretur?) eodem inquam nobili ardore ducta provincia Bars in Generali Conventu die 3. Martii decrevit proximam Insurrectionem, 300 Equites pleno cum adparatu statuendos & prævie (usque plures benevolæ oblationes evenerint) 12,967 Pos. metretas d. g. frugum publicis promatuariis inferendas; Sua Cæsareo Regia Majestas cum intima voluptate decreta hæc intellexit, utrique provincie honorificentissimis rescriptis hanc suam approbationem declaravit. Porro Trentsin provincia præter institutionem tyronum, & Insur-

rectionem 300 Equites instructissimos obtulit, cui perinde Sua Maj. medio Cancellariæ aulicæ húngariæ singularem animi sui aquiescentiam significavit.

### B O R U S S I A.

*Berolino die 22. Martii.* Cum per frequentes privatos nuncios publica expectatio de adventu Regiorum Principum ad usque continuo delusa sit, tandem officiosa confirmatio optata prodiit. Regius Status minister a *Buchholz* videlicet, medio adpulsi Regiomonto Cursoris mandatum accepit: isthic moranti Collegio diplomatico indicandi, Suam Maj. Regiam decrevisse confestim iter isthuc ingredi. Secretioris Conclavis minister *C. a Goltz* maturius adpulsurus, & 10. h. Regiomonto excessisse perhibetur.

### B I O G R A P H I A

Die 28. Febr. 1809. supremum obiit diem Cæsareo Reg. int. stat. Consiliarius & Conferenciarum *Matthias a Fasbender* filius Electoralis olim Trevir. hodie Duc. Nassovio Wiburg. D. Consilarii & privileg. Rhenanorum Directoris a Fasbender.

Præcipuam mentis Culturam in Universitate Moguntina sortitus, in qua Cel. meritum Baro Petrus Frank jam eotum eum distinxerat, tum Göttingæ, & duorum de viginti mensium per plures Galliarum provincias itinere.

Anno ætatis 24. in patria sibi urbe 1788 Prof. Germanici Juris publici & historię Imperii denominatus, 1790 vero cum Electorali De-

putatione Trevirensi Electionis causa Consiliarius Deputationis Francofurtum missus est.

Redux ab Electoralibus Serenitatibus Trevir. actualis aulicus Consiliarius creatus est.

Sinistra eventa primi Gallici Revolutionalis belli, Ingressus Gallicorum Copiarum Treviros, magis vero fervida defuncti studia in commune patriæ emolumentum, & Imperatorem, litterarium *clarissimi Doctoris* otium interrumpere, eumque altiori destinationi, assumpto munere in Imp. Bellica Cancellaris, adinovere.

Edita ab eo adjunctis temporum adcommoda scripta publicistica, acumen ingenii energiae plena viri indoles attentionem excitarunt Soteris eorum Germaniæ Cæs. Regii Archiducis Caroli, qui eum 1798. Gen. Imperii Bellicum Commissarium denominavit.

In hac statione alacritatem, securitatem. que bellicorum necessariorum requisitorum tam æqua parcimonia conjungere noverat, ut hodie dum honorifica ejus in German. memoria.

Multiplici doctus experientia, perspectis exercitus necessitatibus, ejusque genio, Fasbenderus erat, quem heros Germanicus Archidux primarium negotiorum administratorem & immediatum Referentem suum delegit, cum post Lunævillensem pacificationem supremam Copiarum Cæs. Regiarum Præfecturam adiret.

Quid Fasbender in munere Præsidialis Consilij aulici ad Exc. Consilium aulæ Bellicum & a Calendis Sept. 1801 ut Status &

Confidentialis Consiliarius sub administratione Cæs. Principis præstitit, quantum ad ducenda in effectum magni hujus heredis Consilia contulerit, id evidens argumentum: quod excelsus heros ad novissimum tempus fiducia eum prosecutus.

Anno 1805 in meritorum præmium a Sua Maj. ad dignitatem actualis Status Consiliarii sublimatus, publicisque servitiis in alio genere adhibitus est. Præcipuum argumentum fiducia tum Sux Maj. tum Supremi Copiarum Præfecti A. Ducis in alacritatem, & experientia limatam sapientiam *Excellentissimi ac Illustris. Domini a Fasbender* præbet, die 12. Febr. h. a. Chyrographum Ejusdem, quo pro casu erumpentis belli Generalis Copiarum in Germania Intendens clementissime denominatur.

Præmature, in viridi ætate, oßidua valetudine affectum mors agendis negotiis gravissimis eripuit. Serenissimus A. D. Generalissimus summo dolore jacturam æstimatissimi publicæ administri prosecutus est. Indelebilis ejus pro amicis memoria, qui constanter fidem, honestatem officiositatem in eo experti! De rara ejus animi bonitate omnium, qui eum penitus inspiciendi occasio nem habere, una erat sententia. In locum necessariorum, qui procul aberant, lacrimas fundebat turba egenorum, quorum ærumnas defunctus tacita munificencia leniverat, ad maturum viri, longiore ætate imo immortalitate dignissimi, tumulum.

## C o n t i n u a t i o Nro 22.

An tumulis adstem ad miseros, quos testes damnationis constituisti provocandos? tumuli aperiantur, victimæ e mortuis resurgant, atque nobis coram compareant. Sed nequaquam — religio & Crucis tormentis veniam largitur. — „Ignosce eis Domine! nesciunt enim quid faciant! doctrina Cœlestis Christi nescit vindictam, in medio summorum tormentorum orat doctor pro Inimicis suis; solo simplici eorum nomine adpellat, abstinens ultro adpellationibus, quibus de Jure & ex merito eos insignire posset, non vocat Crudeles, non injustos, non lictores, non malevolos, — ut ratione, qua potest, lenissima agendi eorum rationem exprimat, nudo, quales se ipsi professi, & haberi voluere, hostes suos adpellat, quantum exemplum, quanta imitandi seges pro nobis — pro nobis homuncionibus, qui æstro affectuum nos abripi sinimus, at ille in Cruce pendens clamavit.”

*Pater! in manus tuas commendo spiritum meum — tum (Deus mediator! miserere nobis) consummatum est — et — inclinato capite emisit spiritum! —*

Finis 10mi. Carm. — in Messia.

---